Nobiles Adam et Leonardus filij olim Pauli Wyzno [illegible] Sani mente corpore existentes palam publice ac libere recognoverunt et quilibet eorum suo interesse recognovit. Quia Nobili Dorotheae consorti Nobilis Joannis Srzednickij et ipsius successoribus Quatuordecim sexagenas Colonienses debiti certi veri et liquidi Mutuatitij pecuniae Teneri ac debere et pro festo Nativitatis Sancti Joannis Baptistae proxime futuro parata pecunia solvere se de Omnibus bonis cum posteris suis submittunt et inscribunt sub vadio simili aliarum Quatuordecim sexagenarum Coloniensium Et Coram Officio praesenti in primo Cittonis Termino peremptorio responsuri Omnibus in universum iuris remedijs et defensis se et suos successores abrenunciando.

Srzednickich Coniugum Advitalitas.

Coram officio et Actis praesentibus Castrensibus Capitanealibus Bransensibus personaliter comparentes Nobilis Valentinus olim Nicolai Srzednickij ab Una Et Nobilis Dorothea filia olim Joannis Srzednickij consors ipsius partibus ex alia Sani mente et corpore existentes palam publice ac libere recognoverunt Inter se fecisse Mutuam et reciprocam Advitalitatem et Usumfructum Omnium et singulorum bonorum suorum Mobilium et immobilium in haereditate Srzednica et alibi Ubivis consistentium haereditariorum paternorum Maternorum obligatorum et alio quovis modo ac iure titulo concernentium Nunc habitorum et in post favente Divina clementia habendorum et acquirendorum ad extrema Vitae suae tempora inscribunt et assecurant tali modo. Quod si prius de hac luce Deo volente Nobilem Valentinum Srzednickij quam Modernam conthoralem eius Nobilem Dorotheam Srzednicka decedere contigerit Extunc ipsa Bona eius Omnia Mobilia et immobilia Ubivis locorum consistentia super ipsum Maritum suum quovis modo et iure titulo concernentia cum universis attinentijs Omnibus utilitatibus fructibus quovis attinentibus et pertinentibus Nullis exceptis iure Advitalicio tenebit habebit et possidebit ac illis ad extrema Vitae suae tempora utifruetur Post mortem vero ipsius Bona eadem Omnia in successores eiusdem Mariti sui devolventur. Simili etiam Modo si prius Nobilem Dorotheam Srzednicka quam Memoratum Nobilem Valentinum Srzednickij Maritum eius mori contigerit. Extunc ipse Bona eius Omnia Mobilia et immobilia Ubivis locorum consistentia eandem Consortem suam quovis iure titulo concernentia quaecunque morte illius interveniente [illegible] dicta fuerint tenebit habebit et possidebit illisque ad extrema Vitae suae tempora utifruetur Post decessum vero ipsius Bona eadem Omnia in successores eiusdem consortis suae absque quavis contradictione Successorum ipsius devolvi debet.